



6981, I, Q, 6.

CARMEN ENCOMIASTICVM:

IN CELEBRES

NVPTIAS GENEROSI, ET

CLARISS: VIRI, DOMINI ADAMI,

L. Baronis ab Eck, & Hungersbach, Domini in

Flednich, &c. Sponsi: Et Inclytæ, ac pudiciss: Virginis,

Dnæ ANNÆ Chislidis. Illustris Equitis, Dñi Ioh.

Chisl de Chaltenprun, Hæreditarij terræ Carniolæ

venationum Magistri, & Hæred. Illustriss. Comitatus

Goritix Dapiferi: Dñi Hypoth. Vueixelbergæ &c.

nec non Sac. Cæ: Ma: &c. ac Sereniss: Austriæ

Archiducis Caroli &c. Consiliarij, Præfecti

Consilij Cameræ aulicæ, & Capitanei

Adelspergæ dignissimi Filix.

S P O N S Æ.

THOBIA STANGELIO. II. L.

Authore.



Labaci Metropoli Carniolanorum.

Ex officina Iohannis Manlij, Anno

1577. Non; Septemb.

VATICINIUM

Scipij Gentilis.

N Octe elapsa ego plurimas
Volui res animo, simul
STANGELI atq; Poemata.
Aurem vellicat en mihi
Quis nam (nescio) sit **DEVS**.
Adsumo tunicam, ceu
Oestro percitus, illicò.
Ac surgens calamum, **DEO**
Præsente, arripio: cano
Hæc. **STANGELIVS** inclytus
Diuino geminam quia
Stirpem carmine detulit
In cælum, quoq; habebit Hic
Inter sydera maximus
VATES (crede **DEO**) locum.

Hesperus exoritur, quo nullus clarior ignis,
 Dum Sol oceano merfit caput, ardet Olympo:
 Pleiadesq; hyadesq; micant, & nobile sidus
 Eniferi Orionis, in æthere lumina spargit,
 Crure premens pelagus, casti fausta omina lecti.
 Hacluce Heruartus quondam, Mauortius Heros,
 Agmen agens equitum, & nigris conspectus in armis,
 Aurespergiades, Turcis pugnavit, & idem
 Occidit, ah nimium pugna superatus iniqua,
 Pro patria, pro Christicolis, pro pace, fideq;
 Ah miserande cinis. tua funera, Vesper, & Ortus,
 Atq; indignatus iuga barbara, Pannonus Ister
 Defleuit, saxisque simillima corda gerentes,
 Ingemere Scythæ, terror quibus omnibus antè,
 Et graue fulmen eras armis: Te sospite, nunquam,
 Aures Paphlagonum victas, aut regna, videbat
 Turca, nec externas cursu tendebat in oras.
 Sic Ian Hunniades, de sanguine cætus Achillis,
 Occidit, & Thurius Gorgo, fortissimus Heros.
 Credite, nil aliud nobis, quam vota piorum
 Sunctiam obices portis, muriq; per oppida aheni.
 Sed quid ego antiquum, imprudens, renouare dolorem,
 Pergo. loco potiore hæc namq; aliena suoq;
 Atq; suis olim linquam dicenda Camœnis.
 Talis ab auspicio lucis, quæ à matre puellam
 Abripiens, Iuueni donat, Iuuenemq; puellæ,
 Altera nunc, Generose Baro, tibi ducitur vxor,
CHISELIDVM de stirpe, illustri laudibus, & re,
 Progenerata: duumq; genus, quasi surculus, vni
 Inferitur, crescuntq; æterno fœdera nexu:
 Statq; animo primos illi coniungere somnos.

Musa mihi myrthos (myrthum veneramur amantes

Vnde sacra est Veneri) quæq; ornant aurea vatum
Tempora, & Austriaci nascuntur Principis orto,
Porrigè Daphnoëas lauros, hederamq; virentem;
Cumq; rosis violas, calathis, & candida veris
Lilia purpurei, legito, Sponsæq; coronam
Texe nouæ, qualis fulgenti lucida cælo
Emicat, & claros inter nitet ætheris ignes.

Terra iacet, prædiues opum, sub vallibus imis,
Qualiquidus leni decurrens murmure Cancer
Albicat, & prima deriuat origine Sauus:
Cranburgum veteres Heneti dixêre, quòd illis
Carniolanus aquis, primus confedit, & altam
(Argolici pyrgon dicunt) ibi condidit arcem,
Imperioq; alias ex illa subdidit oras.
Hæc est Chiselidæ Illustris domus inclyta Iani:
Arx optata viris, arx expectata puellis,
Nunc feret illa suo nobis quia viscere multas
Lætitiæ, & delicias, conuiuia mensas.

Rumpemoras igitur, furasq; euincta cothurno
Purpureo, mecum, mea Leucori, pergito, nocte
Pænitéat rorasse pedes. hac luce frequentes
Kore lauant, niueosq; pedes, & crura puellæ.

Ac licet in precio, nostro sint tempore, rara
Carmina, & incipiunt tenebræ se offundere luci,
Barbariesq; vetus, nullo prohibente, per Vrbes
Vltro intrare: tamen, cantemus vt inter eundum,
Te precor. Inuenies Iuuenem præstantibus ausis,
Diuæ Germanum Sponsæ, cui maxima Pallas
Diuitis ingenij cumulauit pectore dotes,
Eloquijq; dedit multa splendescere laude,
Prætereâ senis properè inclarescere linguis.
Hoc sua scripta probant, monumentis antiquorum

Æqua

Æqua, graui numero, & rerum disposta nitore,
Dum genus, & gestas fuso res sanguine, scribit,
Auerſpergiadæ, meritasq̃ ad sidera laudes
Euehit, & prohibet tantam marceſcere famam.
Maſte animis, iam mente ſenex, & pluribus auſis,
Perge, tuum Muſis clarum diſtendere nomen,
Quando tuis tanta eſt facundis gratia dictis,
Tantus ab ore nitor, poſitoq̃ modeltia faſtu.
Hoc Duce, non operam prorfus ludemus inanem,
Et via fit leuior, leuior cantantibus hora.

Ergo age, dum feſtam læti conſcendimus arcem

Legitimos ornare thoros, & dicere verſus :

(Materiam à ſacris libeat tibi ſumere rebus)

Dic mihi, Coniugij qui ſunt ſocialis honores ?

Primus honor, thalami ſacris ab origine pendet.

Nam Deus, eſt primus genialis fœderis author.

Primus Hymen, Deus, eſt, primi formator Adami:

Qui ſtabili primos ſociauit amore parentes,

Quorum, hunc primæuum gleba formauit, at illam

Candenti è coſta (dictam inde virago) mariti.

Namq̃ Deus, vacuo contemplans rure vagantem,

Expertem conſorte hominem, Non vtilis, inquit,

Eſt mora, & in triplici ſtatuit conſulta ſenatu :

Cùm, pare quæq̃ ſuo ducant animalia vitam,

Et ſobolem tendant proferre, genusq̃ tueri,

Solus homo, flos ipſe orbis, ſine fœnore vitam

Exigat ? & nuſquam ſenſus, & dia reperta

Pectoris exponat ? Sed mentem paſcat inani

Contuitu, & fruſtra foueat ſua gaudiâ ſolis ?

Non ita : Sed vitæ comitem, ſociamq̃ laborum

Cogitat, & lentum inſtillat per membra ſoporem

Fuſa viri, riguo quâ flamine planta reſultans,

Sæpe leui somnum suadebat inire susurro :
Diffunditq; latus, fixamq; in viscere costam
Exerit, atq; maris condit de carne maritam.
Mox, vt erat somno excussus, consortia membra
Nouit Adam, sentitq; pias in pectore flammæ.
Quis nouus hic nostris successit cordibus ignis ?
Costa meo pro corde stetit, quam cernimus, inquit,
Nec me sanctus amor, nec me mens mutua fallit,
Sic ait at, magna superum stipante corona,
FILIVS æterni Patris, connubia condens,
Pronubus, adduxit sociam simul, accipe dixit,
Cœlumq; tractusq; maris, terramq; profundam.
Omnia ius vestrum accipiant, vltroq; ministrent,
Dixit, & afflatu generandi afflauit amorem.
Hic igitur docuit lectum seruare pudicum,
Iussit & innumeras hoc ordine crescere gentes.
A Ioue principium, neque laus antiquior vlla,
Stirpibus egregijs, magnisq; Heroibus extat.
Heroës Patriarcharum genus esse putamus,
Nam Deus, his præauus, tritauusq;, vt carmine fertur,
A Ioue, principium generis traxisse, refertur
Tantalus Herculei sed stirpis Tantalus author.
Sic Ioue fœcundo iustus fuit Æacus ortus,
Vnde tibi Æacidæ, fortissima pectora bello
Hic Telamone satus, Peleô, & Thetide, acer Achilles.
Vtq; igitur claris, ingens est gloria, nasci,
Et Ioue : Coniugij sic laus, & gloria summa est.
Sic Ioue sunt geniti, Æckides Baro, & inelyta sponsa,
Ambo animis similes, similes ardoribus ambo.

Perigite Leucorides celebrare iugalialia sacri
Iura thori. Quo, prima, fuit coniuncta marito,
Sponsa, loco, Paradyfus erat, pulcherrimus hortus,

(Hinc

(Hinc Paradyfiadæ nomen traxere vetustum)
Ille quidem à Diuisin amœnum consitus Eden,
Eoã de parte soli. Vos flumina, testes,
Quatuor, aduerso labentia flumina tractu,
Deliciæ nomen dederant, quã æterna Potestas,
Quã DEVS, & Pietas, habitabat, & inclyta virtus,
Et Chorus angelicus, Seraphinõq;, & Lucifer ardens.
Omnia si lustres spaciofi climata mundi,
Pulchrior hauderat hoc, neq; sanctior, aut prior hortus.
Non fuit Alcinoi, bellæ nec Adonidis ille
Cultior, æterno licet ambo carmine viuant.
Namq; voluptates omnes Paradyfus habebat,
Gaudia mille animo, centenaq; lætitiarum
Millia quæ nequëat quisquam numerare Deorum,
Hic Deus instituit socialis amabile lecti
Fœdus, & huic, LOCVS, immensum largitur honorẽ.

Pergite Leucorides. Per prima cacumina rerum
Ire iuuat, superata viæ est pars maxima: Sed quis
Vsq; adeo ingenio celeri, vna temporis hora,
Comprendat memori cunctas in carmine laudes?
Est quoq; maiestas casto, & reuerentia lecto,
Quam STATVS innocui confert pulcherrimus æui,
Vtrõ iustitiam, rectumq;, fidemq; colebant
Primæui, culpæq; carebant labe, parentes,
Cum Deus instituit castissima fœdera lecti.
Non mors, non pœnæ, non atri vulnera belli,
Non offendebant sanissima corpora morbi,
Nullæ inimicitia, sed amicæ gaudia pacis,
Tentabant homines, ex omni parte beatos.

Pergite Leucorides. Statibus prior omnibus, vnus
Coniugij est, nondum Reges, nec Consul in Vrbe,
Nondum Cæsar erat sceptris nec prætor auarus

Iura

Iura dabat. prior his iunctus conſorte maritus.
Non tibi tegmen erat, nec vallo mœnia cincta:
Nudaq̃ tam varij cultus non indiga membra.
Tum Solis radij monſtrabant corpus honeſtum,
Nec pudor vllus erat, nec preſſæ nubila frontis
Effigies, Sed res noſtræ ſtetit integra vitæ.
Quàm bene nunc etiam poterant vixiſſe nepotes,
Ni coluber vanis luſiſſet pectora verbis,
Vertiſſetq̃ dolis & ſpem feciſſet inanem.

Pergite, Leucorides, cœptos finire labores.
Cum genus humanum DE V S altis mergeret vndis,
Infandos propter, non conceſſosq̃ Hymeneos,
Solùm conſortes thalami ſeruantur in vndis,
Dum pereunt merſi nebulones, Alcinoiç.
Nulla ſaluſ viduis, nulla in nuptiſq̃ puellis,
Nec Dea veſtalis, nec vita cœlibe Ventres
Effugiunt, altas ſed præcipitantur in vndas.
Extra coniugium ſuper eſt ſpes nulla ſalutis.

Magna quidem cecini. Sed nunc maiora canamus.
Caſta Dei Genitrix Sponſo eſt quoq̃ nupta Iosepho,
Hinc tibi coniugij ſtatus eſt digniſſimus, ex quo
Non, niſi in hoc Chriſtum peperit puriſſima Virgo.
Non caſta, placuit, ſolùm de Virgine, VERBO
Æterno, ſi non etiam de Coniuge, naſci.
Nec mendicantis ſpernis ſponſalia Canæ,
Chriſte potens, paruis dignate accumbere menſis,
Cum ſocijs, & cum Diua genitrice Maria.
Nec tua nos ſolùm œelix præſentia, verùm
Confirmat, numeroſa inter miracula, primum
Quod facis in laudem thalami conſortibus: Vrnæ
Impletæ dum fontis aqua, mutantibus vndis
Naturam ſapiunt generoſi munera Bachi.

Lætitia noua causa datur sub paupere tecto
Coniuiis, laudantq; Deum, qui talia fecit.
Ergo non status est in toto dignior orbe,
Coniugio, melioruè, DEVS quem spectet, & ornet.

Hinc, quoniam incerta moriendū est omnibus hora,
Ne genus humanum, simul vna ætate periret,
Perpetuam factum ad vitam, Natura, Deusq;
Prouidus, antidoton patribus morientibus, vnum,
Coniugij castos fœcundi sanxit amores.
Sic homo, qui genuit, non interiisse putatur,
Prognatæ series prolis longissima viuat
Perpetuò. Quòd si sobolis non vlla creandæ
Cura foret, subito viduentur ciuibus vrbes.

Quis mihi nunc pingat dulces in pectore storgas,
Quas pater, & soboles, per mutua gaudia fundunt,
Mater &, infanti dulcissima basia figens:
Vxor grata tuis socia est iuuenilibus annis,
Blandicijsq; suis mœstas de pectore curas
Excudit, & non tam, benè rebus euntibus, illa,
Quàm a diuersis, dulci præstat solatia ab ore.
Illa, patri, matriq; piæ, suauiq; sorori,
Sola, maritales longè præponit amores,
Ei moritura lubens pro te, ni fata negarent.
Credite, amicitia nomen venerabile, iam nunc
Temporis, in thalami fidis confortibus hæret.
Nemo suo Pyladi, nemo confidit Orestis:
Sed fidæ fidit Sponsæ, atq; huic oscula figit.
Pauper erat, Monachusq; miser, sine coniuge, Adamus,
Corporis huic, animiq; sui pars altera deërat:
Cum Deus è costa sociam ipsi albente creauit.

Sed nostrum non est ex ordine dicere leges
Coniugij, laudesq; omnes. neq; possumus omnes:

Restat adhuc, alijs, fudor, quem linquimus, ingens,
Qui minus exhausti curis, rerumq; dolore,
Colla leuant, Bachoq; Pucino corda serenant.
Si mihi præteritæ ver illud amabile vitæ,
Et calor, in venas, & Spiritus ille rediret
Qualis eram, quando tua, Leucori, celsa colebam
Tempea, Cygnæasq; notabam pollice voces,
Quas cecinit moriens diuina voce Melanthon:
Forſitan exiguo poſſem tibi tempore Carmen
Condere nobilius, doctas quod perſonet aures.
SAMBVCVSq; legat, cenſuræ acerrimus author,
Sambucus, quem fata mihi meliora referuent.
Nunc fortuna grauis nimium me exercuit altis
Caſibus, & rapuit, dulci cum coniuge prolem,
Nec ſinit ad palmam mæſtum concurrere vatem.
Sola die tantum poterit lenire dolorem.

Pergite. Sed tandem leuè iter ſuperauimus, ecce
Pyrgus Paphlagonum ſaxoſo in littore Sauī
Eminet, & dapibus feſtis incendia fumant.
Dicite, qui colitis Sauī caua littora, nauæ,
Quid ſibi vult fragoraërius, ſonitusq; tubarum?
Quis nouus hic veſtris ſucceſſit ſedibus, hoſpes?
Sicego. verum illi ſatis haud percepta locuti,
Kôſpoten, linguis Ecchiden fantur Adamum:
Deſpoten Græci dominum dixere putandum eſt,
Argolicos Henetis quondam, ceu nunc Alemanos,
Contiguas habitaſſe domos: & pergama Troiæ
Quæ fuerant, eſſe has ſedes, & ſaxa Timaii,
Reliquias Danaum Antenor quò duxerat exul.
Hinc Heneti improprias imitantur gutture voces,
Commifcentq; ſuis aliena Idiomata linguis,
Quæ Græci ſua cognoscunt, & Teuthonis ora.

Felices

Felices ripæ, fortunatissima tellus,
Quam nunc tot Proceresq̄, Ducesq̄, Ducumq̄ legati,
Tot Iuvenes clari, & præstanti corpore nymphæ,
Tangere dignati sunt, & succedere tectis.

Iamq̄ iterum insonare tubæ, fidiumq̄, lyraq̄
Harmonizæ dulces, concentibus aëra mulcent.
Æde redit sacra Sponsus, quâ iura Sacerdos
Exposuit thalami, pactisq̄ iugalibus addens
Robur, & auspiciū, sacro cum flamine dextras
Amborum iunxit, dixitq̄ precantia verba.
Iamq̄ Venus nymphæ circumdedit ilia cæsto
Sidereo, quali Venator splendet Orion.

Qualiter, Eo procedens lumine, clarus
Lucifer ante alios longè micat ætheris ignes;
Sic alios forma Proceres supereminet omnes
Sponsus, & insignem promittit ab ore fauorem.
Hoc facit ardenti rectrix in pectore virtus,
Et morum lepor, & pietas, artesq̄ magistræ,
Cunctarumq̄ iubet foelix prudentia rerum.
Iungitur huic frater socio Ptolemæus honore,
Consilij Archiducalis honor, lumenq̄, decusq̄,
Dum populis regni leges, & iura ministrat.
Felix, ille parens, tantos qui spectat honores
Natorum, nec degeneres virtute nepotes.
Aspice, quàm Iuuenum præstantia corpora & virtus
Qualis ab ore nitet & quis splendor & aureus ordo;
Vtq̄ alios alij merito venerantur honore;
Quæ noua maiestas oculis effulget amicis;
Quos inter clarent Equites, fulgentq̄ Barones,
Nominibus varijs, quos ad fastigia rerum
Martia prouexit virtus, laudumq̄ Cupido. (fidus,
Hîs, CHEVENHILLERIDVM Gentis peramabile

Et Caput Archiducis gentile, GEORGIVS, aulæ,
Iungitur, & VVOLPHVS Stubnbergius, ambo Baro
Ambo pares animis, opibusq; & fortibus ausis. (nes
Terrius, acer Eques, factisq; Illustribus ingens,
IANVS CHOBENZEL, cameræ Præfectus herilis,
Arbitrijs quorum dux CAROLVS intima cernit
Consilia, & mentis subtili examinat arte.

Ardet & auricomus, belloq; AVRSPERGIVS au-
IANVS, Achillæa missis cum casside cristis. (dax,
Cui comes it, comis, sagax, & pacis amator,
CHRISTOPHORVS, patris Heruarti non degener
Nec vos prætereo, concordia Lumina, fratres (ore-
TVRRIGENÆ, Illustres Comites simul, atq; Barones;
Quorum pars, melior duro concurrere Thraci,
Agminibusq; equitum captiuas cogere prædas:
Publica, Nobilibus patriæ pars arte togata,
Iura dat, aut totum studijs fert tempus honestis.
Sic quocunq; tuos vultus, & lumina vertis,
Quæ mirere, vides: & si sint lumina centum,
Quod videant, semper, quodq; admirentur, habebunt.
Da veniam vati, si quis prælustrior hospes,
Nomen ab hac nostra tibi cernis abesse Camœna.
Ipse etiam his veni nuper nouus aduena terris,
Et primùm incipio vestrum cognoscere nomen.

Sed iam diua venit, manibus deducta paternis,
Sponsa, quidem ascita alterius non indiga laude.
Absit ab inuidia carmen, liuore Poëta.

Qualis sidereâ nitidissima luce Diana
Auricomus vehitur curru, radiosq; recepat,
Phœbe tuos, redditq; pares, & lumine gaudet.
Aut Citheræa Venus, (qua non Dea notior vlla est)
Turturibus geminis niueo decurrit Olympo:

Talis,

Talis & ipsa nites, castissima pectoris; ANNA,
ANNA, tui sexus primæuum, & nobilæ fidus.
In te contulerunt omnes sua munera Diæ.
Quisq; alijs salæ præstant, vbi singula sumas,
Tecum perfectæ bona currunt omnia formæ,
Corporis, atq; animi. Cedant Heroides olim,
Oenone Paridis fidissima, Tyria Dido,
Penelopesq; fides, Ariadnæ candida fila.
Ora rubent, candentq; manus, & eburnea ceruix,
Et, gemmis, auroq; micans, argentea vestis:
Tum venus in cilijs ludit tibi plurima, & arcu
Iridis auricommo nigros ornauit ocellos.
Stellati fuluum crines nodantur in aurum,
Et lapidum vario collucet lumine vitta.
Hinc niueo pendent aurata monilia collo,
Glauca quibus Iaspis radiat, viridesq; smaragdi
Et preciosa breues immordet margaritis aures.
Quis mihi depingat gestus, moresq; serenos?
Nam pudor, & virtus, & dulcis gratia fandi.
Laude pudicitæ coniuncta, illa omnia, tantò,
Quantò mens melior formoso corpore, corpus
Fortunæ rebus, vincit quia, germine in vno,
Altera pars cœli sumus, & pars altera terræ.

Nec desunt alijs insignis munera formæ
Virginibus, longo comitatu hæc castra secutis.
Quas etenim misit, foecunda, Carinthia, venis
Auriferis, centum præstanti corpore nymphæ,
Et totidem factu, pulcherrima Stiria, maior,
Illyridesq; Deæ, variæ certamine formæ.
Accendunt animos iuuenum, propriæq; merentur
Mensuram laudis. Quæ versicoloribus extrâ
Vestibus incedunt, argento, ostroq; decoris,

Indutæ. Hinc nitidis gemmis, auroq; catenis
Lux fluit: at collo baccata monilia pendent.
Dulcia blandiloquæ si audires munera linguæ,
Et suaues veneris risus: ex æthere lapsas,
Credideris, animas, æterna luce fruendum.
Qualis, vere nouo, Borealibus abdita claustris,
Cum cessauit hyems, Zephyris spirantibus, omnes
Induitur florum species, omnesq; colores,
Campus: apesq; hilari fœcundat rore volantes;
Illæ autem, tenera dudum dulcedine pastæ,
Expellunt fucos, stimulosq; in vulnere linqunt,
Cum strepitu, & puro distendunt nectare cellas.
Tunc Philomela, sedens viridis sub tegmine myrthi,
Gutture dulcisono vocum discrimina mille
Integrat, & noctes vigilat lachrymando serenas.
Talis erat facies. varijs à cultibus orta,
Et decor, & tersas dicendi, gratia, voces.
Sed nouus hic pudor, & veneranda modestia morum,
Et noua se grauitas blandis ostendit ocellis.
Sunt, quæis nigra nitent pleno spe lumina vultu,
Et roseis infecta notis Charis aurea ab ore
Emitat: his tacita lasciua plurima nocte.
Sunt, quibus est generis, pulchræq; superbia formæ:
Gaza, quibus lumen, Serumq; Arabumq; potentum,
Carbasaq; intertexta auro, & Sidonia vestis:
Dum nimis affectant somnos coniungere Diuis,
Atq; humiles temnunt Iuuenes, post tempore, & ipsæ
Despectæ senio, clausis se sedibus abdunt.
Ite procul fastus, Stygia & iactemini in aula.
Non decet hic humilis regnare in corde puellæ.

Illæ sed, argutos in me quæ figit ocellos,
Seu vidua est, seu innupta, vides, vt conscia amoris

Erubu^t

Erubuit, tinxitq; genas pudor aureus: ille,
Naturæ, docet, esse bonæ, & virtutis amantem.
Quam venus in cilijs succi plenissima ludit:
Fortunata, sacro si qua es dilecta Poëtæ,
Et tibi rura placent, & molli cespite lecta,
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.
Ah pereât, quisquis præfert virtutibus aurum:
Coniugium est auro melius: præstantius illo
Nil, nisi causa DEVS, qui effectu maior habetur.

Hactenus hæc Nymphæ vestrum redimite Poëtam,
Si qua voles, & vos, faciles, castæq; puellæ.
Rex ego sum, si vestra meo laus carmine viuet,
Sicq; aliquis nostro respondeat ardor amori.
Diuitias alius, quem sic amor vrget habendi,
Quærat, & auriferis Ophyreæ moriatur in aruis:
Me iuuat, & sanum, & contentum paupere lecto,
Ducere rure diem, & dulci cum coniuge, si qua est,
Aut erit, lin tacito ventos audire cubili,
Et, quæcuncq; DEVS mittet, spe damna leuare.

Et iam vicinæ totus successerat aulae
Coetus, vbi audires lituos, foelicia læti
Argumenta thori referatis vndiq; portis
Atria tota patent, splendentia vellere Serum.
Hic pius, egregiæ permotus filiae honore,
IANVS Chiselides, fama vsq; ad sidera notus,
Magnificis dapibus conuiuia maxima struxit
Hospitibus, quos ipse manu, vultuq; sereno,
Duxit in aulaeum, & dictis solatur amicis.
Assedit Procerum series longissima mensis
Cum Sponsaq; piæ matres castæq; puellæ,
Et Diuæ Charites, ostro accubuerè superbo.
Tercentum videas apponi fercula mensis,

Et

Et totidem, gemmis radiantia pocula, & auro.
Hic quæsitum terra, pelagoq; ciborum,
Nulli visa prius series, & gloria stabat,
Aurea lætitia fremuerunt atria, & alto
Lapsa polo, Procerum subsedit gratia labris.
Combinansq; animos, Concordia, rore Lyæi,
Antiquas sanat lites, & pectora mulcet.

Postquam prima fames epulis exempta recessit,
Crateras magnos statuunt, & munere Bachi
(Antiquo de more Alemanæ ad pocula gentis)
Diffudere animos Iuuenes, totiq; patere
Incipiunt: tum corda ferenat candidus ardor.
Sunt, qui colloquium sacris de rebus habebant.
Materies alijs thoros, & tua carmina, Musa.
Sunt, qui res Scyticas narrant sermone disertis,
Deplorantq; animos, & frigida pectora bello
Ductorum, patriæq; gemunt discrimina sedis,
Dum, nullo prohibente, ruit Thrax omnia vastans,
Seruitijq; iugis hominum tot millia mittit.
Verum alios alij nodofo ænigmate ludunt,
Qualiter hospitibus, Simson fortissimus ille
Argumenta dabat, nodo contexta tenaci,
Multa super forti rogans, dulciq; liquore.
Ista solent dulci mulcere sapore palatum
Fercula, sermonum tali conspersa lepore.
Luxus, & ebrietas absit, quæ prodiga rerum,
Humanos animos in bruta ferocia vertit:
Ut Circe in pecudes Socios mutauit Vlyssis.
Tecta strepunt, vocesq; per atria tota resultant:
Sed Sponsus, figens oculos in virgine Sponsa,
Miratur, tardis quæ iam mora solibus obilet.
At postquam roseus clauso Sol occidit axe,

Et

Et nox Hesperijs successit rorida ab undis:
Incenssis aulæa micant longo ordine tædis,
Undiq; & inducta nox humida luce recedit:
Et iam suadebant labentia sidera somnum.
Pronubus ipse Pater, folio subnixuseburneo,
CHISELIDES, Procerum ne quid pia vota moretur,
Ingentem pateram, gemmis, auroq; nitentem,
Poscit, & hanc Bacho mandans implere Pucino,
(Collibus antiquis hic nascitur Adria testis
Quæ tibi septeno prorumpit fonte Timæus)
Asurgit Pigas ex hoc fanciuerat haustum
Hospitibus lætis tunc facta silentia tectis.
Summe Deum, tot, quando adeo de pluribus oris,
Illustres, clarosq; viros, & sanguine iunctos,
Heroumq; Deas, & quæ carissima nobis
Esse solent, hodie sub nostra hæc tecta vocasti:
Et caram huic Sponso gnatam (tua dona) dedisti:
Hos lætos Sponsisq; dies, & utroq; profectis
Axe poli, nuptis Procerum, intactisq; puellis,
Esse velis nostrosq; huius meminisse minores.
Adsit lætitiæ dator, & spirabile lumen.

Dixit, & ore tenus summo libavit, & hausit.

Idem alij proceres faciunt, & vina coronant:
Grandæuiq; senes: & sponsis prospera fata,
Multaq; lætitarum millia corde precantur.

Interea, thalamos, Dryades, & hamadryas unâ
Floribus exornant varijs, & mollia strata
Componunt melilothus adest, & amaracus horti
Lumen, ut ambrosium sponsis offundat odorem.
Nec mora, tergemina cantantur carmina voce:
Hymen ades. Hymenæe, Hymen ades, ô, Hymenæe.
Te Cithæræ Ducem thalamis præfecit amicam,
Tempus, & officium, tuus & te postulat usus.

Namq̄ vocare tuum est, iuueniq̄ adducere sponsam,
Surreptam è matris gremio, atq̄ resolvere zonam
Virgineis sinibus: myrtho caua tempora cinctus,
Ecce, Hymenæus adest, niueo pulsans pede terram:
Spinea tæda sinistram, armabant Flammea dextram.
Hoc mandante, intrat thalamos pulcherrima rerum,
Et lachrymas fundit, facibus succensa pudoris,
Nec cordi sunt multa, suæ solamnia matris.
Tunc, posito grauiore habitu, tenuissima sumpsit
Carbasa, quæ texunt niueo de stamine Seres,
Frondea lanigeræ carpentes vellera sylvæ.
Brachia tralucet, & torquibus aurea ceruix:
At coma passa fluit per candida colla, per artus.
Hoc agit, & mox castus Hymen sic infit ab ore.

Scitis, vt humoris nimirum, vicq̄ calor
Natura inprimis rerum benè perficit ortus:
Quod dulcis gnati, velut omen sit, generandi,
Qui patri similis sit, & agnoscat ab omni
Ignotus, matrem & roseo simul indicet ore,
Vos primùm lymphæ lultrali aspergine uterq̄
Imbuite, & leuiter sacras attingite flammæ.
Qualiter Eôus deriuat flumine Ganges,
Perq̄ Heuilæ tractus, Ophyraq̄ effunditur oram,
Dum rutilas rimatur opes, fuluumq̄ metallum
Exhibet in caueis Phison, Solymæ accola terræ,
Gens vocat, in campum laxis quòd fufus habenis,
Arua premit pelago, calidasq̄ aspergine terras
Imbuit, & vires vicino hūmore ministrat:
Sic, GELIDI FONTIS Patrona, calentia sponsi
Corda riges, propriij fontis rorantibus vndis,
Vnde, iuuentutis pia pignora puriter actæ,
Nascantur, vestri generis, noua gloria, post vos,
Nec vestrum terris modò nomen, honosq̄ superfit,

Sed viuant vestræ per plurima sæcula stirpes.

Sic ait. imbuitur lustrali aëspergine vterq̄,
Et flammam leuiter capit ad mandata Hymenæi.
Qualis in exculto stat flos Hyacinthinus horto,
Cum non sæuit hyems, nec frigida rore pruina;
Talis Diua nitet, præstanti corpore nympha.
Dumq̄ strepunt nucibus pueri, miscentq̄ tumultus,
De Paradysiadum præclara gente creata,
Collocat hanc lecto geniali pronuba mater,
Sidereosq̄ artus per mollia strata reponit,
Et solam excedens dictis solatur amicis.

Rumpe moras omnes thalamo tibi sponsa, marite, est.
Nec mora. at ipsa, manus ad eburnea colla ferenti,
Multâ repugnabat, lachrymansq̄ silentia rupit
Murmure blandiloquæ vocis.

Concordes animæ, natæ melioribus annis,
Nunc igitur saluete, marite, atq̄ ipsa marita,
Quos amor vnanimis, vno, fatumq̄ & amici
Iunxerunt thalamo: felices viuite mille
Gaudia Dij vobis dent, multaq̄ lætitiarum
Millia, quæ nequeat quiquam numerare, nec vnquam
Deficiant. Sed & vnda mari, tum gramina terræ,
Atq̄ prius desit flamma igni, sidera cœlo,
Quàm vires, quàm vester amor, quàm gaudia cessent.
Lac niueum, liquidumq̄ merum, & spumantia vestræ
Mella fluant thalamis, & copia diuitis auri.

Interea Bacho, & ludis, choreisq̄ pudicis
Indultum est, donec stellas aurora fugauit,
Noxq̄ fuit præceps, atq̄ omnibus inuida cœptis.
Hoc fat erat. Vos nunc omnes Saluete, Valetè,
Es properata nimis, vultu acceptate sereno,
Carmina, nam ventura dies maiora referuat.



6982, I, O, L.

IN NVPTIAS

CLARISSIMI VIRI DO,

mini Adami L: Baronis ab Eckh &

Hungersbach, & Generosæ Virgi-

nis D: Annæ Chislidis in

Khaltenprun:

Leonbardo Clario Doct: Illust: Ducat:

Carniolæ Physico ordinario

Authore.



LABACI,

Quæ est Carniolæ Metropolis, Ex

officina Ioannis Manlij.

1851, 7, 10, 2

INNVPTIAS

ELARISIMIRIDG

mini Abami L: Dmow as Eekb C

Hungersack & Grosseberg

in D: Amie's Garden in

Abolition

Leopoldo Clara D. B. Hoffmann

Comitee of the Friends

editors



L A B A C I

Queer's Office, Liverpool, Eng

Office, London, W. 1

819200030-N1

Ille noua cœptum qui primus origine mundum,
Phæbeosq; ignes, nocturnaq; sydera dixit
Condita, & ennatos colles, siluasq; lacusq;
Altisona postquam modulatus arundine lusit
Æquoreos Nerei greges. Cæliq; volucres,
Ac varios terræ numerosa animantia fœtus,
Tum demùm ad generis flexit primordia nostri,
Musæus senior sanctum, ac memorabile carmen.
Et, Pater omnipotens factum cum cerneret omne
Inquit opus, sibiq; extremum superesse laborem:
Quo dudum appulerat mentem, è tellure recenti
Ipse suis hominem manibus, qui singula posset
Imperiorègere, ac vasto dominarier orbi:
Constituit superùm ad formam, effigiemq; deorum:

Sed quoniam intereà vitam malè solus agebat,
Nec fuerat cunctis potiundum finibus vni,
Huic opifex imo sublatam à pectore costam,
Dum placido grauiùs somno premeretur, ademit,
Inq; Euam affinxit sociam sortisq; thoriq;:
Vnde virùm tam multa seges, tam augusta propago
Cœlicolum emmersit, neq; enim sublimior illos
Ortus habet, nosq; haud alij genuere parentes:
Sic cecinit dignus Musis, & Apolline vates,

Diuinus vates nulli pietate secundus.

Nunc tamen ecce noui rursus spectacula mundi,
Aureaq; illa ætas, qua non operosior vlla,
Virginis Astreae, ac Saturni innoxia regna:
Ecce iterum cræbrilactisq;, & nectaris amnes
Pro te SAVE Pater, pro te nitidissime CANCER,
Proq; suis dura stillantia ab illice mella
Glandibus, ac flauæ per culta, per inuia fruges:
Ecce iterum vernis redimitæ frondibus vlni,
Fam licet æstiuis succedat mensibus aura
Frigidior, siccoq; macescat sydere tellus.
Lilia ubiq; & ubiq; rosæ, Smillaxq;, crocusq;,
Et Cibelesius Athis, veneriq; adamatus Adonis:
Plurima quid memorẽ: aut repetã quid cuncta morando?
Ecce iterum vxori nuper sociatur ADAMVS.
Tamenẽ primæuo respondent omnia sæclo,
At non ille senex, nec humo concretus inertis,
Sed vir, sed proceres inter lepidissimus omnes
Æchiacæ domus, ac supremi Cæsaris aula.
Hic sibi posthabita de duris ossibus orta
Coniuge fatorum iussu, ac potioribus Astris

Annam

ANINAM sanguinum nympharum sanguinis. Annam
Chiselij IANNI Paradisiacæq; MARIÆ
Dilectam sobolem, forma, ingenioq; nitentem,
Accipit unanimi æternum fruiturus in ævum:
Stirps ter, & ulterius fœlix, terq; optima, qualis
Cætera si, desint, reparando congruat orbi,
Sitq; satis populis, & gentibus apta futuris,
Quæ pelagi fluctus, & arenam littoris olim
Prætereant numero, stellasq; imitentur olympi:

Talia dirceo pangit mysteria plectro
Thobias phœbi lumen, doctæq; Myneruæ:
Vos modò, queis cordi est celebres spectare poetas
Indigenæ, quorum arbitrijs se Labacus Istro
Componit, Rodanoq; æquat, Rhenoq;, Padoq;.
Sistite, & hunc alijs unum obseruate relictis,
Dum reuocat mores ad ferrea lustra vetustos,
In meliusq; docet mutato cardine verti
Quicquid erat rerum, ac rursus pubescere magnam
Hanc molem, totumq; repleri heroibus orbem:
At Tu, qui thalamo præstas Hymenæe iugali,
Et paria auspicijs suades connubia letis,

Huc ades .o. Hymenæe, Deum pulcherrime, tecumq;
Et Charites blandæ, risusq;, & amœna voluptas,
Nec non Thespiades nec non Cylleniæ ales
Magnorum interpres diuûm, ac Grinæus Apollo,
Seq; sacris addant præsentia Numina vestris
Alma Ceres, Liberq; parens, Phæbeq;, Palesq;,
Et Venus, & puer arcitenens, ac pronuba Iuno:
Dijq; Deaq; astrorum omnes, quot terra, fretumq;
Et gelidæ hæc rupes, colit & circumfluit aër.
Quosq; iuuat castis cræbro intercedere votis.
Ferte pedem, atq; hilari Sponsis accedite vultu:
Donec ab Æchiadum splendore superbior instet
Fre polus, fulgensq; nouis micet ignibus æther,
Et finem fati imponat Iuppiter author.

Interea valles, saltus, vaga flumina, & ipsi
Quot noscunq; obeunt nemorosa cacumina montes.
Chiselidas mecum pergant resonare canendo,
Chiselidumq; decus plusquam admirabile IANNVM.
Nominibus IANNVM, ac fama super æthera notum:
Quem si fortè diu vesi cœlestibus auris
Parca sinat melior, vigeatq; animosa senecta,

Quando

Quando erit, ut summo quicquam aduersetur honori,
Imminuatue apicem titulorum, & laudibus obsit,
Quas meret euidet inuidia, ac liuore perempto?

Hoc duce Getulos homini parere leones,
Et canibus videas timidos assuescere damas:
Hoc fera dediscent miseros acomita legentes
Fallere, & incautos morso tentare colubri:
Barbara Massagetum desertis agmina signis
Diffugient, nostros nunquam inuasura penates:
Tunc fortunati IANNO duce, & auspice IANNO
& Austriadae patrijs pulsos à sedibus hostes
Conspicient, seros & pace fruentur in annos:
O, mihi nonnunquam detur si copia fandi
Qualia fert animus, praesitq; vocatus Apollo.
Quae tibi non referam de te, I Anne inclyte, quae non
Europae, atq; Asiae, laudum ut loca nulla tuarum
Nescia sint, siue Cois qua surgit ab Indis,
Seu qua se occiduo mergit sub gurgite Titan?
Namq; tui similem nec cognouere priores,
Nec quos deinde ferent labentia secula, norint:
Te praesente Iouem pietas mortalibus aegris

Conciliat,

Conciliat, viret & nostræ spes tota salutis;
Verum absente cadit, languetq; papaueris instar,
Aut violæ, curuo passior quam incidit aratro,
Et tandem exiguo complectar ut omnia versu,
Cum tua se carnis subducunt al pibus ora,
Næ pœruit, & densis cæci lachrymamur in umbris,
Ast, ubi fœcundo perfusum lumine S A V V M
I A N N E foues, nec te mora ciuibus abstrahit vlla,
Næ os tranquilla ambit pax, & fœlicibus horis
Plena dies longoq; tenent sola ocia tractu:
Næc tamen ille tuus, mea cura, G E O R G I V S, ille,
Quem triplici impubem lauro cinxere corona,
Vnquam erit, ut quicquam, simul ac maturior ætas
Fulserit, aut animi dotes, aut corporis vllas
Inuideat, tantum iuuenilibus audet in annis:
Olli sudabunt humiles electra myricæ,
Et dodoneæ quercus fragrantia thura,
Ipsa silex in ebur mutabitur, æris in auri
Pondera, & ingemmas plumbum viridesq; Smaragdos:
Hac cum prole dies faustos cornices, & æuam
I A N N E pater dominis terrarum accepte, deisq;
Exige

Exige Nestorem, pulchroq; à nomine sumptum
Prosequere, ac fati imple melioribus omen:
Namq; bifrontis quondam Saturno primus adhæsit
IANVS amicitia, Ausonijsq; excepit in oris
Cræteam fugientem Idam, ac Iouis impia bella:
Quos tamen officijs rex servantissimus æqui
Composuit, patrem & genito, genitumq; parenti
Reddidit, æternaq; deos pietate reuinxit.

Tu verò ut IANVM ferris superare, videsq;
Altius, & quæ non alijs sunt peruia, lustras:
Sic tibi maior adest prisco Ioue Iupiter alter,
Alter & vrano satus, aut præstantior illo.
Quo custode regas populos, & fœdere iungas
Perpetuo, rebusq; modos, ac tempora ponas:
Hoc mihi Atlantiades, peterem cum multa, reclusit,
Pluralocuturus, si cuncta admittere phas sit.

At vos Chiselia pridem à radice nitentes
Quæ legitis mecum flores, ac mitia poma,
Dicite Amadriades, precor, ò, facilesq; Napeæ:
Quite IANNE colunt, nihil & te grandius vsquam
Austriaca in regione tenent, his aurifer Hermus

Confluat, ac rutilas gessiet Pactolus arenas:
Sitq̄ Corinthiacum, quicquid tetigêre, metallum:
Siquis erit tam mentis inops, tamq̄ improbus, vt te
Oderit, ac reliquis non præferat, ille beata
Nec tellure miser, nec aquis potiatur amicis:
Sed procul ad scopulos, ac monstra horrentia Ponti,
Aut abeat Scythicam in glaciem, exiliumq̄ promethei,
Tetamen, ac natos, & quos dabit ANNA nepotes,
Tristia non lædant infensi fulmina cœli,
Nec mala perdat hyems, nec feruida torreat æstas.
At tepidi soles, & mollior aura fauoni,
Ætherijq̄ humor roris cœlestia dona
Semper alant, faueantq̄, polo dum sydera fulgent,
Dumq̄ leues vitreo pascuntur in æquore pisces,
Et roseo verni reuirescunt tempore colles.



